ORATIO

ANNIVERSARIA

HARVEIANA.



MDCCCLXIII.


22101222253

ORATIO

EX

HARVEII INSTITUTO

IN ÆDIBUS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS

HABITA

DIE JUNII XXVI. MDCCCLXIII.

AB ALEXANDRO J. SUTHERLAND, M.D. OXON, F.R.S.,

COLL. REG. MED. LOND. SOCIO.



LONDINI:

EXCUDEBAT G. J. GOLBOURN.

MDCCCLXIII.

[1863]


LIBRARY

THOMÆ WATSONO, M.D., F.R.S.,

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS

PRÆSIDI, SOCIISQUE,

Hanc Oratiunculam

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D.

ALEXANDER JOHANNES SUTHERLAND.

ORATIO HARVEIANA.

Præses Dignissime,
Socii et Auditores Illustrissimi!

JUSSU Præsidis eruditi qui nuper Collegio nostro Regali tantâ curâ, tantâ laude præfuit, jussu etiam tuo, Præses doctissime, huic operi me accingo, solennì munere functurus, quod Harveius noster novissimis verbis agi jussit, doctorum omnium, suæque memoriæ, et publicæ idem saluti consulens. Quippe hoc festo die voluit hic Medicus celebris illos, qui beneficia in Collegium contulissent, oratione latinâ esse commemoratos; et Socios ad secreta naturæ exploranda, amicitiamque inter se colendam excitare. Mos est etiam acta Sociorum memorare qui priore anno morti subierunt; mos utilissimus, meâ quidem sententiâ, ne nomina tàm cara hominum clarorum e memoriâ excidant; et ne obliviscamur quàm fragilis sit vita humana—quàm impotens sit etiam ars nostra utilissima mortem gressu certissimo subeuntem, nisi in breve tempus, retardare.

Non hic est locus disputare utrum necne auditoribus esset commodius, et oratori facilius orationem hanc anglicè, quàm latinè conficere, utrùm novorum inventorum scientiæ exempla in memoriam revocare, et antiquorum annorum investigationes prætermittere, esset melius. Attamen sanguinis ille fluxus nunquam antiquus fit, fluet et refluet quamdiu amnes in mare delabentur. Harveius hoc jussit, et per plus quàm centum annos Socii præcepto huic paruerunt. Nonne

æquum est huic, qui hanc orationem instituit obedire? cujus memoriam nos venerari solemus? et cujus famam egregiam præ cæteris nobis invident peregrini?

Collegium hoc Regale non tàm opibus, quàm moribus, et præceptis Linacri fundatoris floruit, quippe qui Collegium "in patriam populumque" sponsorem (ut ita dicam), doctrinæ Morum et scientiæ Medicorum, qui intra urbem Londinium Medicinæ arti operam navassent, esse voluit:—Linacrus Empiricum ex animo odisse, et procul hinc arcere omni ratione voluisse videtur—Floret tamen Empirice. Quàm multi hanc artem in hâc urbe non sine lucro exercent? Mulieres Hystericæ, nec non homines dyspeptici, et animo imbecilles miracula mendacia devorant: decipi volunt, et decipiuntur. Actûs Medicus licentiâ munitos, et non munitos distinguere, pro virili conatur, et Concilium Medicorum sumptu magno privilegia Medica sustinet; at fateor non sapientis senatoris esse vi senatûs consulti empiricen amovere—attamen nos saltem decet, Socii, auxilio tali consiliorum nostrorum in ægrorum miseriis sublevandis nunquam uti; adjutores empiricos nunquàm habere; et illos strenuè vitare qui "nostrum" vulgo dictum vel ægrotis dant, vel populo vendunt. Hæreditatem pulchram ab avis traditam possidemus, nos decet ejus dignitatem augere, nos decet posteris intaminatam transmittere.

Haud dubium est quin in mentem fundatoris Collegii venisset, non tantum dignos, et sapientes socios in unum contrahere, sed etiam saluti publicæ consulere; et per multos annos, peste gravi vel novâ urbem affligente, Collegii præsidem senatus consulere assuetus est. Socii idcirco a Collegio nostro designati morbi causas, symptomata, et remedia diligenter investigaverunt. Si consuetudo hæc nunc inusitata est, Collegium, tamen officio suo non deest, et quando opus est reipublicæ salutem consiliis, et auctoritate suâ fovet. Digesta elaborata de Cholerâ a nostro Gulielmo Gullo, et Gulielmo Balio (Collegâ olim meo dilecto—heu! repente trucidato), collecta, quis non in memoriâ

tenet? Fervebat opus Linacri. E Sociis olim quidam insanos, in asylis invigilatos, visitabant; quidam in concilium cum Chirurgorum Collegii Regalis Præside ad variolas vaccinas inspiciendas, advocabantur, alii Pharmacopolia in urbe Londini inspiciebant: at tàm gravia erant Sociorum officia, ut Senatus delectos quosdam saluti publicæ consulere, insanos in asylis custodire, etiam, variolarum vaccinarum pustulas inspicere juberet. Nonne etiam Senatûs est efficere ut pharmacopolia omnia quotannis in trutinam vocentur? quid causæ est cur Londini tantum Pharmacopoliæ inspiciabantur? Itane hic loci tantum medicamenta adulterata venduntur? Illi qui Censoris munere functi fuerint, immo omnes Medici satis exploratum habent Medicamenta pro loci et consuetudinis diversitate toto cœlo distare.

Quæ cum ita sint, quomodo potest Medicus semper accuratissime, ut fieri debet, ægroto consulere? Non tantùm decet omnes Pharmacopolas, et Alchymistas Medicamenta pura, sed etiam Medicamenta secundum leges Pharmacopœiæ accurate parata, vendere, et credo Medicis optimi eventurum esse, ut Pharmacopœiæ eâdem linguæ ratione utantur omnes.

Præside Henrico Atkins Pharmacopœia Londinensis primò orta erat. Tum primum suum cuique Medicamento nomen inditum, Atkins Regis Jacobi primi erat Medicus, et Jacobo regnante Anglia, et Scotia fædere icto in unum coaluerunt. Te regnante, Præses doctissime, Angliæ, Scotiæ, et Hiberniæ speramus futurum esse, ut Pharmacopœiæ harum gentium diversarum in unum tandem conjunctæ in medium mox proferantur. Gratulor equidem vobis, Socii ornatissimi, quod haud immemores gloriæ antiquæ nostræ domus, virum Collegio præfecistis cujus nomen omnibus in ore est, cujus scripta, cujusque mores illum dignum esse qui in Linacri locum deligeretur, planè demonstraverunt.

Gratulor quoque vobis quod nostris temporibus tot Permissi in hanc nostram ædem admissi fuerint. Spero equidem futurum esse ut numero Sociorum, et Permissorum crescente, et famâ hujusce domus

magis atque magis florescente, Collegium hoc Regale Medicorum Londinense, si non nomine, attamen re verâ Collegium Regale Medicorum *Anglicum* eveniat.

Hoc autem in loco hodiè illos memoremus, qui beneficia in Collegium nostrum contulerint. Tam pleni vero sunt annales nominum Sociorum qui donis hanc ædem auxerint, ut deficieret me tempus dicentem de Caio, de Hamæo, de Goulstono, de Lumleio, de Caldwallo, de Croonio, et de aliis qui pulvinar, caduceum, sigillumque fidei signum et firmametum donaverunt. Qui prælectiones instituerunt qui denique domum hanc ædificaverunt. Quis nostrûm, Socii, nescit Linacrum primum, Caium alterum, Harvæium tertium, Hamæum quartum fundatorem vel potius restitutorem Collegii fuisse nostri? Halfordo præside natas esse has ipsas ædes. Mayone præside, legibus nostris reformatis, et multis aliis in melius mutatis, renatum esse Collegium, quid est ut memorem? Vos decet præcipuè Socii Juniores Medicinæ scientiam promovere—Bailliei, Brightiique opera in medium prolata erant, donec in usu medico, atque exercitatione totâ illorum vitâ absumptâ, rebus novis investigandis non amplius vacarent. Sic vobis, ut velim, praxi posthac quotidiè magìs atque magìs florescente, Anatomiæ, Chemiæ, et Scientiæ res occultas in lucem producere non licebit.

In libro quem de Medici gubernatione scripsit, his verbis usus est Hippocrates: "Maximè ad opinionem, atque auctoritatem comparandum conducit bonis atque honestis moribus præditum esse." Et haud dubitandum est quin mores Sociorum, hujus Collegii auctoritatem præcipuè sustinuerint. Pauci quidem è Sociis etiam Ecclesiastici fuerunt—Chambrus, Sancti Petri Ecclesiæ Westmonasteriensis Decanus, Linacrus, Prebendarius Ecclesiæ erat; Marbeckius, Registrarius primus, Ædis Christi apud Oxonium Canonicus erat; Quinetiam Franciscus Milman, Barronettus, annis abhinc nonaginta, Divinitatis S. Theologiæ Baccalaureus erat, adeò ut pallium Sancti

Lucæ in Collegium nostrum cecidisse videatur. Homines creduli, qui res graves tenuiter attingunt, falsas de Deo sententias inter Medicos abundare asserunt: Hi opera Medicorum perpauca legisse videntur; Meadii etenim "Medica Sacra," et Thomæ Brownii "Religio Medici" tales opiniones refellunt: est autem in Medicinâ aliquid nobile quod mentem ad cœlum trahit. Quis nostrum, Socii, est quìn cùm prope cubile morbi dolore oppressi astet, tàm animæ, quàm corporis ægroti rationem habere velit? Quis nostrum est, quìn precetur, ut nostris cæptis adsit Deus? Quis inspecto cadavere seipsum esse Mortalem non reminiscatur?

Restat nunc qui duobus prioribus annis decesserunt suo ordine commemorem, septem Socii tantum mortui sunt, è quibus senior nonaginta octo annos vixerat; memorabile exemplum (quorum præstò sunt permulta) quantum Medicinæ ars his nostris annis in meliùs profecerit. Ac primo quidem loco patrem meum memorandum habeo. Mihi enim idem evenit, quod Heberdeno quoque juniori accidit, qui in Harveiano quem habuit sermone piam patris sui tradidit commemorationem. Et nunc meum est, optimi, et carissimi patris columnam struere. Moveor equidem quoties memoriam revoco parentis amantissimi, patris dilectissimi, cujus cura me fovit, et disciplina instruxit.

Ille autem, in scholâ tum temporis celeberimâ Westmonasteriensi a primis annis instructus, cùm ad gradum Medicinæ Doctoris consecutus esset, se morborum mentis curationi totum tradidit. His autem annis recentioribus quantum insanorum curandorum ratio in melius mutata fuerit quis vestrûm ignorat? Erant in Galliâ, erant in Angliâ—(Conolleius noster (liceat mihi dicere) præ cæteris)—qui insanos non tàm cohibendos esse, et vinculis reprimendos, quàm summo studio, summâ curâ, summâ benignitate, fovendos et molliendos, et si fieri posset in sanam mentem denuo revocandos esse arbitrarentur. Hoc tantum adjicere velim, ne vobis diutius commorari

videar, patrem meum hoc sibi semper proposuisse, ut, si quis morbo gravatus, consultum accederet, moribus humanis, et ratione benignissimâ sibi conciliaret. Inde factum est ut æqualibus omnibus (pace vestrâ de patre meo dixerim) longè antecederet. Decessit tandem Devoniæ in illo quem sibi præ cæteris delegerat loco: propinquis amicisque carissimus; a pauperibus autem, nautis illius locì præcipuè, quam desideratus! Decessit, cùm jam per viginti annos tranquillo vitæ cursu usus fuerat; ut (id quod perraris contingit,) post vitam cæterorum necessitatibus sublevandis, datam, curis tandem remotis, amicis et sibi, et Deo vivere, posset, et ut ex hâc vitâ, ad æternæ vitæ munera paratior excederet.

De aliis etiam morte ereptis pauca liceat proferre. Hueus, qui filius Mercatoris in urbe Sancti Helieri in Insulâ Cæsareâ natus fuit, Abingdonii a doctissimo Lempriero educatus, Oxonium profectus est; ibi per varios honores tandem ad Doctoris gradum effertus est. Triginta annos Nosocomii Sancti Bartolomæi Medicus fuit. Nullus Medicus suo tempore, nullus fortasse in omni temporis decursu se tot, et tàm insignes alumnos gaudere potuit; quippe qui dè Chemiâ, Botanice, Medicinâ, et Materiâ Medicâ tres prælectiones per multos annos indies alumnis suis dedit. Nosocomii à Coramo Instituti imprimis Medicus, dein Gubernator, denique Propresidens fuit, et in concilione virorum, qui olim insanos in Asylis invigilatos visitaverunt, delectus erat: Institutionis etiam ad nationem pertinentis pro variolarum-vaccinarum puris distributione, Registrarius, et Thesausarius erat. Vitam sanè occupatam egit. In diagnosi sagax, in consilio gravis, in negotiis promptus, officiis Registrarii hujus Collegii optime functus est, et quàm felix et fortunatum Collegium fuerit, quum semper Registrariis clarissimis usum sit jam inde a Caio, usque ad hoc nostrum ævum, liceat mihi hoc in loco obiter memorare.

Augustinus Sayerus in vico Bexleiâ natus est. Pater ejus in Galliam migrasset et multa proles " spes tanta nepotum," secum exisset. Bello

autem inter Angliam et Galliam orto cum familiâ suâ apud Valentinianam, moratus est. Filius ejus Augustinus Bruxellas missus est, ibi in Lyceo nomen ejus multo cum honore et laude commemoratum invenimus.

Artem Medicinam apud Bruxellas feliciter exercuit, ibi enim Frederici illustrissimi Belgii Principis, Ducisque Cantiæ regalis altissimi, nostræ dilectæ Reginæ patris, per multos annos Medicus fuit, Quùm è Belgiâ rediisset, in hâc urbe vitam egit, ubi quatuordecim annos Nosocomii Lock (vulgò dicti) Medicus fuit. Benevolentiâ singulari indutus, amicos plurimos sibi conciliavit et conservavit. In studiis litterarum et scientiæ versatus, Societatis Medicorum Westmonasteriensis Thesaurarius factus est. Et in negotiis ad sanitatem, et desiccationem Londini pertinentibus, non sine honore et magnâ cum utilitate plurimum occupatus est.

Quis autem laudes tuas dignè commemorare possit, Joannes Forbesî? Certe nemo unquam meliùs demonstravit, "Quid indoles nutrita faustis sub penetralibus posset." In Scotiâ natus est, et cùm adhuc Juvenis rebus nauticis operam navasset, Chirurgus nauticus factus est, mox tamen è classe decessit, et ad Edinam progressus est, ubi pristina Medicinæ et Scientiæ studia, artes, quibus a pueritiâ deditus fuerat, denùo instauravit; ad gradum Medicinæ Doctoris apud Edenburgenses admissus est. Neque pretermittendum esse puto quòd Titulus inauguralis Thesis Medicæ fuerit. "Tentamen Inaugurale de Mentis Exercitatione et Felicitate exinde Derivandâ."

In Cornubiâ medicinam exercere cæpit et Angliæ partes meridionales non tantùm usu Medico, sed etiam prælectionibus suis ornavit. Haud multis abhinc annis ad Londinium venit ubi scriptis præstantissimis famam jamdùdum sibi stabilem comparavit. In hoc loco illorum operum, quorum vel auctor vel editor fuit, mentionem facere vix necessarium est: "Medicæ Praxeos Cyclopœdia," "Quantum Ars quantum Natura efficit ad Morbi Remedium," "Recensio Medica Peregrino-Britannica." Talia opera talis viri memoriam mori vetant.

Ut Sydenhamus (vestigia Baconi premens) causas morbi omnes diligenter quæsivit, sic Forbesius, alter Sydenhamus vocatus, et " nullius addictus jurare in verba magistri," omnia quæ aliquo modo cognitionem morbi juvare possent investigavit; " speculator venatorque naturæ" gnavus, et fidelis, assidue speciem morbi omnem observavit ut symptomata abdita, et latentia interpretari posset. Sic cùm pectoris morborum diagnosis rationem novam explorasset Operum Laënnecii et Avenbruggeri fidus interpres fuit, et exemplis suis rectum stethoscopi usum demonstravit. In consiliis sapiens, in scientiâ doctus in litteris humanioribus eruditus, linguis recentibus bene imbutus, amator veri altissimus, amicis fidus, inimicis generosus fuit, egenis beneficus, Nosocomium, in urbe quam habitavit (scilicet Cicestriâ) fundavit, omnibus benevolus, doctrinæque et scientiæ patronus munificus, bibliothecam suam Aberdoniæ Collegio, donavit. Quid mirum igitur si frequentibus honoribus auctus fuerit. Inter alia, eques auratus creatus est, et Medicus extraordinarius Altissimo Principe Corsorti nominatus est.* Quem cum memoro in mentem uniuscujusque vestrum venisse arbitror ut de viro illustrissimo, Principe omnibus carissimo, pauca loquar. De quo equidem vix habeo quod dicam dignum. Vellem ego virtutes præclaras, fidem incorruptam, diligentiam admirabilem, scientiam rerum propè immensam, benevolentiam ergà cives, amorem erga liberos, pietatem denique ergà Deum, commemorare. Idem tamen invitus cohibeor ut qui de re satis notâ fusiùs loqui, atque (ut Thucydidis verbis utar " μαχρηγορεὶν ἐν εἰδόσιν" omninò nolim. At silentio tanti viri laudes quis possit præterire? Decessisti, princeps optime morte repentinâ, post vitam heu! nimis brevem correptus! Brevem nimis! et tamen in hâc tàm brevi vitâ quantas res quàm memorabiles egisti! quot civibus nostris, quot (pœne dixerim) toti humano generi, beneficia contulisti! Immò exemplum in æternum dedisti quid ille

* *Medical Times and Gazette,* November 16, 1861.

possit facere, qui, quùm nobile sibi vitæ propositum instituerit, hoc omni studio, hoc omnibus et mentis, et corporis viribus persequatur, voluptatis blandientis voci surdam semper aurem adhibens. Te curarum consortem regina, te solii tutamen principes, te patrem optimum liberi, te artium scientiæque fautorem, te œdificii, proximo anno in hâc nostrâ urbe exstructi, ingenii tui exempli memorabilis, auctorem cives; te egentium patronum pauperes, omnes uno animo unâ voce mœrent. Decessisti: sed superest vir nobilissime, laus tua, superest fama: tantam enim tibi pacis artibus gloriam vindicasti, quantum bello haud scio an nemo unquam comparaverit. Decessisti: sed ex visu tantum, non ex animis abiisti. Positum in sepulcro inter flentis patriæ (nam propè facta est patria) dolorem corpus: vivit mortui tui memoria, vivit exemplum.

FINIS.

Excudebat G. J. Golbourn, Princes-street, Leicester-square.